4. *Idem*, A. Quinto.

Si debitor cujus fuisse fundum ipse confiteris, prius[8] eum distraxit, quam fisco aliquid debuit, inquietandum te non esse procurator meus cognoscet : nam etsi postea debitor extiterit, non ideo tamen ea, quæ de dominio ejus excesserunt, pignoris jure fisco potuerunt obligari. — P. P. 3 kal. Jul. Læto 2 et Cereale Conss. 216.

5. Imp. Alexander A. Mennæ.

Pecunia quam creditor a debitore suo recepit, si postea ex justa causa fisco restituenda[9] erit, sine usuris debetur : quia non fœnus contractum, sed suum recuperatum extraordinario jure aufertur. — P. P. 15 kalend. Jun. Fusco et Dextro Conss. 226.

6. Imp. Gordianus A. Severianæ.

Cum patrem tuum fisci debitorem fuisse demonstres, eumque nubenti tibi possessionem dedisse alleges : procuratorem jus fisci exsequentem eam jure pignoris revocare potuisse intelligis. — P. P. non. Jun. Sabino et Venusto Conss. 241.

7. Impp. Valer., Gallien. AA. et Valerian. C. Diodoro.

Si in te jus[10] fisci, cum reliqua [solveres] debitoris, pro quo satisfaciebas, tibi competens judex adscripsit, et transtulit : ab his creditoribus, quibus fiscus potior habetur, res quas eo nomine tenes, non possunt inquietari. — P. P. 15 kal. Jun. Æmiliano et Basso Conss. 260.

TIT. LXXIV.

DE PRIVILEGIO DOTIS[1].

1. Impp. Severus et Antoninus AA. Firmo.

Scire debes, privilegium dotis quo mulieres utuntur in actione de dote, ad heredem[2] non transire. — P. P. kalend. Maji, Pompeiano et Avito Conss. 210.

TIT. LXXV.

DE REVOCANDIS HIS, QUÆ IN FRAUDEM[1] CREDITORUM ALIENATA SUNT.

1. Imp. Antoninus A. Cassiæ.

Heres, qui post aditam hereditatem ad eum, cui res cessit, corpora hereditaria transtulit : creditoribus permansit obligatus. Si igitur in fraudem tuam id fecerit : bonis ejus excussis, usitatis actionibus (si tibi negotium[2] gestum fuerit) ea, quæ in fraudem alienata probabuntur, revocabis. — P. P. 2 id. octob. Antonino A. 4 et Balbino Conss. 214.

2. Imp. Alexand. A. Symphorianæ.

Si successione patris abstenta[3] fuisti : ob ea, quæ in dotem[4] data sunt convenire te creditores nequeunt, quibus pignora in dotem data non docentur : nisi bonis defuncti non sufficientibus, in fraudem[5] creditorum dotem constitutam probabitur. — P. P. 10 kal. Julii, Probo et Maximo Conss. 233.

3. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Acyndino.

Si paterna hereditate abstinuisti[6], nec quicquam in fraudem creditorum ex bonis ejus in te donationis jure transcriptum est : a privatis creditoribus præses provinciæ conveniri te non patietur. — P. P. 10 kal. Jul. ipsis 4 et 3 AA. Conss. 290.

4. *Iidem*, AA. et CC. Epagatho.

Filios debitoris, ei succedentes[7], veluti in creditorum fraudem alienatorum facultatem revocandi non habere, notissimi juris est. — S. 10 kal. Maji, AA. Conss.

5. *Iidem*, AA. et CC. Crescentio.

Ignoti juris non est, adversus eum, qui sententia condemnatus, intra statutum[8] tempus satis non fecit, nec defenditur, bonis possessis, itemque distractis : per actionem in factum contra emptorem, qui sciens[9] fraudem comparavit, et eum, qui ex lucrativo[10] titulo possidet, scientiæ mentione detracta, creditoribus suis esse consultum. — S. 10 kal. nov. AA. Conss.

6. *Iidem*, AA. et CC. Menandræ.

Si actu solenni[11] præcedentem obligationem peremisti : perspicis adversus fraudatorem intra annum[12] in quantum facere potest, vel dolo malo fecit, quominus possit, Edicto perpetuo tantum actionem permitti.

LIBER OCTAVUS.

TIT. I.

DE INTERDICTIS[1].

1. Imp. Alexander A. Evocato.

Cum proponas, radicibus arborum in vicina Agathangeli area positis crescentibus, fundamentis domus tuæ periculum afferri : præses, ad exemplum, interdictorum, quæ in albo proposita habet [prætor,] *si arbor in alienas ædes impendebit :* item, *si in alienum agrum impendebit :* quibus ostenditur, nec per arboris quidem occasionem vicino nocere oportere, rem ad suam æquitatem[2] rediget. — P. P. 6 kal. april. Jul. 2 et Crispino Conss.

2. Impp. Valer. et Gallien. AA. Messiæ[3].

Præses provinciæ in eum, qui ejusdem[4] provinciæ non est, nec ex interdicto potest cognoscere. — P. P. 7 kal. Maji, Seculare et Donato Conss. 261.

3. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Pompeiano P. P.

Incerti juris non est, orta proprietatis et possessionis lite, prius[5] possessionis decidi oportere quæstionem competentibus actionibus, ut ex hoc, ordine facto, de dominii disceptatione probationes ab eo[6], qui de possessione victus est, exigantur. Interdicta autem licet in extraordinariis[7] judiciis proprie locum non habent, tamen ad exemplum[8] eorum res agitur. — S. kal. Januar. *Sirmii*, ipsis AA. Conss.

4. Impp. Arcad. et Honor. AA. Æmiliano P. P.

Si quis quodlibet interdictum efflagitet, ruptis veteribus ambagibus[9], inter ipsa cognitionum auspicia actionem exprimere, ac suas allegationes jubeatur proponere. — Dat. 13 kal. August. *Constantinop.*, Arcadio A. 6 et Probo Conss. 406.

TIT. II.

QUORUM BONORUM[1].

1. Impp. Sever. et Antonin. AA. Justo.

Hereditatem ejus quem patrem tuum fuisse dicis, petiturus, judicibus qui super ea re cognituri erunt, de fide intentionis allega. Quamvis enim bonorum possessionem, ut præteritus agnovisti, tamen interdicto, *quorum bonorum*, non aliter possessor constitui poteris, quam si te defuncti filium esse, et ad hereditatem, vel bonorum possessionem admissum[2] probaveris. — P. P. 8 kal. Januar. Laterano et Rufino Conss. 198.

2. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Marco.

Si ex edicto sororis patruelis intestatæ sine liberis defunctæ, recte petita bonorum possessione quæsisti successionem, ac negotium integrum est : quæ cum moreretur, ejus fuerunt, secundum interdicti, *quorum bonorum*, tenorem ab his, qui pro herede, vel pro possessore possident, dolove[3] malo fecerint, quo magis desierint possidere, tibi rector provinciæ restitui efficiet. — P. P. 6 kal. april. CC. Conss.

8. L. 1, infr. de jure fisci; L. 9, § 2, infr. de bonis proscript.; L. 15, D. de donationib. — 9. L. 6, § 2, D de reb. auctor. jud. possid.; L. 24, D. quæ in fraudem credit.; L. 18, in fin.; L. 19, D. de jure fisci. — 10 L. 2, D. de cessione bonor.: L. 3, supr. h. t.; L. 45, § 9, D. de jure fisci.

Tit. LXXIV. — 1. N. 97, c. 3 et seq.; *adde* Lib. 5, supr. tit. 12; Lib. 23, D. 3. — 2. *Immo vide* L. 13, § 3, D de fundo dotali.

Tit. LXXV. — 1. Lib. 42, D. 8, § 6, Inst. de action. — 2. *Confer* L. 6, in fin. supr. de transact. — 3. L. 3, infr. h. t. — 4. *Confer* L. 11, D. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. — . L. 15, supr. de donat. ante nupt.; L. 6, supr. de privileg. fisci. — 6. L. 2, pr. supr. h. t.; L. 4, supr. arbitr. tut.; L. 22, § 1, vers. similique supr. de jure delib.; L. 1, supr. de repud. vel abstin. heredit.; L. 4, infr. de primipil.; L. 57, D. de adquir. vel omitt. hered. — 7. L. 3, supr. de reb. alienis non alienand. — 8. L. ult. infr.; L. 6, in fin.; L. 10, § 18, D. h. t. — 9. L. 1. pr.; L. 6, § 8; L. 10, pr. et § 2, D. eod. — 10. L. 6, § 11, D. eod. — 11. L. 1, in fin. D eod. — 12. L. 6, in fin. D. eod.

Tit. I. — 1. Lib. 43, D. 1; Lib. 4, Inst. 15. — 2. *Vide enim* L. 7, § 1, D. de justit. et jur. — 3. *Confer* L. un. supr. ubi de hered. — 4. d. L. un.; *adde* L. 20, D. de jurisdict. — 5. § 4, Inst. h. t.; L. 3, supr. fin. regund.; L. 37, D. de judiciis; L. 13, supr. de rei vindicat.: L. 35, D. de adquir. vel amitt. possess.; L. 1, § 3, D. uti possid. 2, Feud. 4, et 20, et 82; *confer* L. 12, § 1, D. de adquir. vel amitt. possess. — 6. L. 2, supr. de probat. — 7. L. 47 § 1, D. de negot. gest. — 8. L. 2, L. 4, infr. unde vi; L. ult. infr. de liberis exhib. — 9. L. 3, in fin. supr. h. t.

Tit. II. — 1. Lib. 43, D. 2, § 3, Inst. de interdict. — 2. *Vide enim* L. 1, pr. D. h. t. — 3. d. L. 1, pr.

3. Impp. Arcad. et Honor. AA. Petronio vicario Hispan.

Constat virum[4] a bonis intestatæ uxoris superstitibus consanguineis esse extraneum : cum prudentium omnia responsa, et lex ipsa naturæ successores eos faciant. Ergo jubemus, ut omnibus frustrationibus amputatis, per interdictum *quorum bonorum*, in petitorem corpora transferantur, secunda actione proprietatis non[5] exclusa. — Dat. 6 kal. Aug. *Mediolani*, Olybrio et Probino Conss. 395.

TIT. III.

QUORUM LEGATORUM[1].

1. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Latinæ.

Heredi scripto satis idonee lege Falcidia, si exhausta legatis successio probetur, per quartæ retentionem prospectum est. Unde si legatarius, vel fideicommissarius non[2] consentiente patre tuo, quem adseveras testatori successisse, et bonorum possessionem accepisse, relicta sibi legata, vel fideicommissa detinuit : secundum sententiam interdicti, quod adversus legatarios scriptis heredibus propositum est, oblata satisdatione, quam præstari oportet, in possessionem te constituit, ut ita retentione competenti[3] utaris, experiri potes. — Dat. 16 kal. Jun. AA. Conss.

TIT. IV.

UNDE[1] VI.

1. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. et CC. Theodoro.

Recte possidenti, ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, inculpatæ tutelæ moderatione illatam vim propulsare[2] licet. — P. P. 15 kal. decembr. ipsis 4 et 3 AA. Conss. 290.

2. *Iidem*, AA. et CC. Alexandro.

Vi pulsos restituendos[3] esse interdicti exemplo[4], si necdum utilis[5] annus excessit, certissimi juris est : et heredes[6] teneri in tantum, quantum[7] ad eos pervenit. — S. AA. Conss.

3. *Iidem*, AA. et CC. Ulpiæ et Proculinæ.

Auctoritatem vobis rescripti[8] nostri tenendæ possessionis, quam vos per violentiam ademptam profitemini, accommodari nimis improbe postulatis. — S. 8 id. april. CC. Conss.

4. *Iidem*, AA. et CC. Hygino.

Si de possessione vi dejectus es, eum et lege Julia[9] vis privatæ reum postulare, et ad instar[10] interdicti *unde vi* convenire potes, quo reum causam[11] omnem præstare oportet : in qua fructus[12] etiam quos vetus possessor percipere potuit, non [tantum] quos prædo percepit, venire non ambigitur. — S. 6 id. april. *Sirmii*, CC. Conss.

5. Imp. Constantinus A. ad Tertullianum.

Invasor[13] locorum pœna teneatur legitima[14] : si tamen vi loca eadem invasisse constiterit : nam si per errorem aut incuriam domini loca ab aliis possessa sunt : sine pœna possessio restitui[15] debet. — Dat. 6 kal. Maii, Gallicano et Symmacho Conss. 330.

6. Imppp. Grat., Valent. et Theod. AAA. Potito P. V.

Meminerint cuncti, sive vulgato[16] rescripto mansuetudinis nostræ, sive sententia cujuslibet judicis utantur in causis, conveniendos dominos locorum esse : aut si forte defuerint, eorum actores ad insinuandas sententias, procuratoresque esse quærendos, ne inde[17] injuriarum nascatur occasio unde jura nascuntur. Quod si præcepta nostra implere neglexerint : omni negotio de quo jurgare cœperant, privabuntur. — § 1. Sin autem habito plerumque colludio, curatores vel tutores minorum his rem debitam ea occasione pervadant, ut pupillis vel adultis jurgandi copia et fructus adimatur : his eatenus subvenimus, ut eosdem non atterat[18] damno culpa temeritatis alienæ : sed illico[19] quidem possessio ei a quo est ablata, reddatur : curatores autem vel tutores æterna deportatione punitos, bonorum quoque publicatio persequatur. — Dat. 2 non. april. Antonino et Syagrio Conss. 382.

7. Imppp. Valent., Theod. et Arcad. AAA. ad Messianum com. rerum privatarum.

Si quis in tantam furoris pervenerit audaciam ut possessionem rerum apud fiscum, vel apud homines quoslibet constitutarum ante adventum judicialis arbitrii violenter invaserit, dominus quidem constitutus possessionem quam abstulit[20], restituat[21] possessori, et dominium ejusdem rei amittat. Si vero alienarum rerum possessionem invasit : non solum eam possidentibus reddat[22], verum etiam æstimationem earundem rerum restituere compellatur. — Dat. 17 kal. Jun. *Treveris*, Timasio et Promoto Conss. 389.

8. Impp. Arcad. et Honor. AA. Pamphilo.

Momentariæ[23] possessionis interdictum, quod non semper ad vim publicam pertinet[24], vel privatam, mox audiri, interdum etiam sine inscriptione meretur. — Dat. 6 idib. Jun. *Mediolani*, Olybrio et Probino Conss. 395.

9. Imp. Zeno A. Sebastiano P. P.

Si quando vis in judicio fuerit patefacta, deinde super rebus abreptis, vel invasis vel damno dato tempore impetus quæstio proponatur : si non potuerit, qui vim sustinuit, quæ perdidit, singula comprobare, taxatione a judice facta pro personarum atque negotii qualitate; sacramento[25] æstimationem rerum quas perdidit, manifestet : nec liceat ei ultra taxationem a judice factam jurare : et quod hujusmodi jurejurando dato fuerit declaratum, judicem condemnare oportet. — Dat. id. dec. *Constantinop.*, post consulat. Basilii 2 et Armati V. C. 477.

10. *Idem*, A. Sebastiano P. P.

Non ab re est, quemadmodum possessionis alienæ invasores[26], tam vetus quam præsens sacra constitutio censuit esse puniendos : ita nec conductoribus, et possessionis alienæ detentoribus impune procedere, si locatoribus forte, vel possessionem rerum suarum, quam apud alios precario modo esse concesserant, recuperare secundum leges volentibus, cum nulla sibimet cognita legibus allegatio competeret, duxerint resistendum : et non protinus, id est, non expectato judiciorum ordine, alienam possessionem recte eam recuperantibus, cedere patiantur. Eos namque jubemus pro tanta suæ iniquitatis impudentia, si cognitionis judiciariæ eventu fuerint condemnati : rei cujus possessionem sponte restituere usque ad definitivam sententiam minime passi sunt, æstimationem victrici parti una[27] cum ipsa re præbere compelli. — Dat. 5 kal. april. *Constantinop.*, Theodorico et Venantio Conss. 484.

11. Imp. Justinianus A. Joanni P. P.

Cum quærebatur inter Illyricianam advocationem quid fieri oportet, quapropter eos qui vacuam[28] possessionem absentium sine judiciali sententia detinuerunt, quia veteres leges nec *Unde vi* interdictum, nec *Quod vi, aut clam*, vel aliam quandam actionem ad recipiendam talem possessionem definiebant, violentia in ablatam possessionem minime præcedente, nisi domino tantummodo in rem actionem exercere permittentes : nos non concedentes aliquem alienas res, vel possessiones per suam auctoritatem usurpare, sancimus, talem possessorem, uti prædonem intelligi, et generali jurisdictione ea teneri, quæ pro restituenda possessione contra hujusmodi personas veteribus declarata sunt legibus. Ridiculum etenim est dicere vel audire, quod per ignorantiam alienam rem aliquis quasi propriam occupaverit. Omnes autem scire debent, quod suum non est[29], hoc ad alios modis omnibus pertinere : cum talis depositio in furti actione jam dudum veteribus legibus definita est, dicentibus, si quis alienam rem adversus domini voluntatem attigerit, furti actione teneatur : his videlicet quæ super recipienda possessione a nobis disposita sunt, locum habentibus, si non[30] ex die ex quo possessio detenta est, triginta annorum excesserint curricula. — Dat. 13 kalend. novembr. *Constantinop.*, post consulat. Lampadii et Orestis VV. CC., anno secundo 532.

4. L. un. supr. unde vir et uxor. — 5. L. 3, in fin. supr. si a non competente jud.

Tit. III. — 1. Lib. 43, D. 3. — 2. L. 1, § 2, D. h. t. — 3. Supr. ad leg. Falcid.

Tit. IV. — 1. § 6, Inst. de interdict.; *adde* Lib. 43, D. 16. — 2. L. 1, § 27 : L. 17, D. de vi et vi armat.; L. 3, D. de just. et jur. — 3. L. 1, § 1, D. de vi et vi armat.; § 6, Inst. de interdict. — 4. L. 3, supr. d. t. de interd.; L. 4, infr. h. t. — 5. L. 1, § 39, D. de vi et vi armat. — 6 d. L. 1, § ult. — 7. d. § ult.; *fac.* L. 38, D. de reg. jur. — 8. L. 3, L. 7, supr. de precib. imperat. offerend.; L. ult. supr. si contra jus vel utilit.; L. 4, in fin. infr. de emancipation.; L. 2, § 10, D. ne quid in loco public. — 9. L. 1, § 2, D. de vi et vi armat.; § 6, Inst. de interdict. — 10. *Confer* L. 1, infr. quando civil. actio crimin. præjud. — 11. L. 6, D. de vi et vi armat. — 12. L. 1, § 40, D. d. t. — 13. L. 7, infr. h. t. — 14. L. 4. supr. eod.; L. 6, L. 7, infr. ad leg. Jul. de vi. — 15. *Confer* L. 8, infr. h. t; § 1, init. Inst. de vi bonor. raptor. — 16. L. 3, supr. h. t. — 17. L. 1, in fin. supr. de his qui ven. ætat.; L. 2, supr. de indict. viduit. — 18. *Immo vide* L. 2, supr. de his quib. ut indign. — 19. *Confer* L. 12, § 1, D. de adquir vel amitt. possess. — 20. L. 5, supr. de legat.; *vide tamen* L. 10, § 16, D. quæ in fraud. cred; L. 1, supr. quando liceat unic. sine judice; L. 2, infr. de pignorib. — 21. L. 10, infr. h. t; L. 13, in fin. D. quod met. caus.; L. un. in fin. supr. de suffrag.; L. 176, D. de reg jur.; § 1, in med. Inst. de vi bonor. raptor.; § 6, Inst. de interd. 2, Feud. 27, § 2, ad fin. — 22. *Immo vide* L. 55, D. de furt. — 23. L. ult. supr. qui legit. pers. — 24. L. 6, supr.; L. ult. infr. h. t.; *confer* L. 2, infr. tit. prox. — 25. L. 15, § 9, D. quod vi aut clam. — 26. L. 5, L. 7, L. 9, supr. h. t. — 27. L. 34, supr. de locat. — 28. L. 6, supr. de adquir. et retin. possess. — 29. L. 15, D. de except. rei judic. — 30 L. 1, § 1, supr. de ann. except.